

agitatus ad Bovillas in cauponulam quandam P. Clodius fugiens concederet. Quem secuti non sua sponte, ut in hac defensione Tullius loquitur pro sui officii necessitate, sed iussu domini, qui hoc maxime praeoptaverat, servi 5 Milonis interemerunt. Post quod facinus perpetratum et nuntio Romam perlato vehemens in Milonem invidia commota est. Adlato etiam cadavere nobilissimi senatoris et popularis viri, post denique injecto in curiam Hostilium faces subiectae sunt ab turbulenta et sordida multitudine, 10 cui et vita P. Clodi nimium fructuosa in praeteritum fuerat et tunc mors acerba erat. Quibus turbis et seditionibus adversus Milonem flagrantibus convocato senatu decretum est caedem in Appia via contra rem p. esse commissam. Cn. etiam Pompeius, qui tunc sine col- 15 lega tertium consulatum gerebat, tulit legem, ut de eadem caede extra ordinem quaereretur. Ac primo quidem iudices considerunt in aede Saturni. Et gerendam causam pro debita necessitudine nec minus voto, quo inimici sui interitum gratulabatur, Cicero suscepit. Sed quoniam et 20 turbulentia res erat et confessa caedes et ad seditionem populus inflammatus et circumpositi iudicio milites et non longe praesidens consul ipse Pompeius obnixe studens in damnationem Milonis, perferri defensio ista non potuit, nam metu consternatus et ipse Tullius pedem rettulit et 25 exstat aliis praeterea liber actorum pro Milone, in quo omnia interrupta et inpolita et rudia, plena denique maximi terroris agnoscas. Hanc orationem postea legitimo opere et maiore cura, utpote iam confirmato animo et in